



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCLXXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

tamen scriptis hæredibus aut legatariis uno ore omnes cum Bartolo concludunt testamentum non valere, in d. l. si de testam. Proinde cum Adrianus sine liberis decesserit & legata extraneis, hoc est alijs quam liberis reliquerit in dicta scriptura; non potest sustineri huiusmodi scriptura ut vice imperfecti testamenti sit & obtimeat.

5 Sanè duo illa legata, quæ adscripta sunt Ecclesiæ Sancti Martini ac pauperibus, an sustineri debeant, magnam dubitationem habet. Sed ut à scrupulosa disputatione abstinemus, magis est, ut quia testamenta ad pias causas scripta æquiparantur testamentis inter liberos, valeant huiusmodi legata: ut traditum est per lafonem, qui huius sententiæ auctores & confirmatores recitat, in *Aub. Quod sine in fine C. De testam. Decius in c. 2. De fide instrum. colum. 4. Ioannes de Anania cons. 57. Visu & consideratus*; accedente præsertim diei & anni, quæ in capite dictæ scripturæ per Adrianum adiecta invenitur, ascriptione, *Bald. ind. Aub. Quod sine nu. 4.* Neque absurdum est ea duo legata sustineri, alia autem corrui: nam ita servatur in testamento imperfecto inter liberos condito, ut si personis liberorum extraneæ persona adijciatur, valeat testamentum tantum quoad liberos, non quoad extraneos, d. s. ex imperfecto; & quoad extraneas personas pro imperfecto habeatur: sic ut quod in hoc testamento extraneis ascriptum invenitur, ad legitimos hæredes pertinere debeat.

De Testamentis.

S V M M A R I U M.

Testamentum sine solemnitate.

1. Testamentum sollemnitate consuetudine abrogari posse.
2. Testamentum sine testibus valere posse.
3. Testamentum relativum valere.
4. Testamentum inter liberos & ad pias causas comparatur.
5. Testamentum inter liberos & ad pias causas etiam non solenne vales.
6. Testamentum uno loco rectè conditum ubique effectum habet.
7. Forensis an teneatur legibus loci ubi degit.
8. Approbatum semel improbari non potest.

CONSILIVM CCCLXXXI.

ROBERTVS Tempest Mercator Anglicanus anno Domini 1550 die 3, Augusti, in Oppido Antwerpiensi, propria manu ultimam suam voluntatem seu testamentum scripsit, & scriptum clausit, omittis testium subscriptionibus. Post deinde nona Aprilis anno 1551. in eodem Oppido Antwerpiensi tabulas testamenti idem testator adhuc vivens aperuit, & plurima alia priori voluntati (quam ratam esse voluit) addendo, iterum clausit, & tandem moritur: quo mortuo tabulæ testamenti proferuntur coram Iudice Ordinario in Anglia; per quem publicatur & approbatur anno 1551. die quinta Octobris. Queritur, an tabulæ valeant? & si valeant, quem effectum habituræ sint?

Quod ad prius attinet, dicimus valere, siue ad

jus scriptum referantur, siue illud, quod in Anglia observatur, & frequentatur. De posteriore, quod minus dubitationis habet, patet; quia dicitur in Anglia pro jure servari, ut testamentum testatoris manu scriptum, etiam si desint omnia, quæ jure Romano requiruntur solemnina, valeat.

* Quam quidem observationem seu consuetudinem nemo rectè dixerit esse rejiciendam: quia solemnitas testamentorum juris positivi est; cui non tantum contraria lege, sed etiam consuetudine derogari, in o totum abrogari, s. sed natura: ita insit. de iure nat. gen. & civili; & speciali five privilegio, siue consuetudine juris scripti observatio relaxari potest, l. si non specialis, l. ult. in verb. concedimus antiquam eorum consuetudinem legis vicem obtinere, C. De testam. etiam apud eos, qui legibus Romanorum adstringuntur. Ut non videatur mirum, si qualis qualis testamentorum faciendorum, forma probari debeat, quam sibi delegerunt, qui ijs legibus non tenentur: cum apud alias gentes informis etiam voluntas, si de ea constet, vires habeat; non aliter quam jure Romano militis quocumque modo declarata. 1. Et hoc est, quod ex sententia Canonistarum, in *Rubr. 2. De testam. ait Dominus Viglius, in Rubr. Inst. De milit. testam. quod apud eas gentes, quas Iuris civilis observatio non obligat, si nulla propria lex extat, hoc jus quod in militum testamentis est proditum, obtinere debeat; quia secundum jus gentium constitutum est, Bart. in l. neque enim. De milit. testam. Quando igitur hoc verum est, à milite scriptum testamentum valere, etiam si neque testes adhibuerit, neque ut subscriberent curaverit, tunc cum scripturæ voluntatem suam declaraverit (cum possit vel ex confessione adversarij, vel testium, qui manum scribentis noverunt, probari, l. Lucius de milit. testam. D. Viglius in §. plane Insituit, de milit. testam.) verum quoque erit sic conditum ab Anglo testamentum suo more sustineri. Rectè autem esse conditum secundum morem Angliæ, dubitandum non est; propter Iudicis auctoritatem, qui in publicatione & approbatione huius scripturæ id aperte declaravit: ut constet ex instrumento nobis exhibitio: quod decretum cum habeat potestatem sententiæ definitivæ, & in rem transiverit iudicatam, pro veritate habendum est, l. res iudicata de re iudic.*

De priore, et si maior sit dubitatio, quod vel unus testis ex septem defectus faciat ipso jure deficere testamentum, l. si unus C. De testam. verissimum tamen est in casu præsentis, eas esse huius scripturæ circumstantias, ut sustineri debeat; idque duplici ex capite. 1. Primò, quod hic versetur in eo genere testandi, quod Bartolus, & alij Doctores varijs locis tradunt & approbant, in l. Asseroto, l. Quoties §. si quis nomen de hered. inst. l. Si ita scripsero de condit. & demonstrat. eo scilicet, quo testator convocatis testibus dicit se ita testari, quemadmodum in certa scedula demonstratâ, seu designatâ continetur, *Paul. Paris. cons. 2. vol. 3.* Cum ergo à consulente hoc in facto sit narratum, prædictum Robertum dixisse coram testibus, suum esse testamentum seu ultimam voluntatem, quam in tabulis prædictis suâ manu scripserat, sit, ut jure testatus esse credatur testamento implicite nuncu-

nuncupativo, ut aiunt, *Doct. in sup. alleg. locis*.
 4 Secundò, si forte illud non omnino securum videatur, vel ob numerum testium minorem, vel ob formam non exactè per omnia servatam: superest alterum, & quidem securissimum, quòd ex tam multis pijs legatis, pauperibus & xenodochijs ascriptis, ipsaque hæredis institutione (quam in clausula de residuo constituimus, si usquam constituenda est, *Glos. in §. si verò nulla in verb. relinquitur in Aubert. de hæred. & valid. Bartol. cons. 67. vol. 2.*) scholæ puerorum instituendorum ascripta, dici debeat hoc testamentum conditum ad pias causas æquiparari testamento patris inter suos liberos, & eodem jure ubique ferè censeri, *Doct. in l. Hac constitutissima §. ex imperfecto c. De testam.* * Cum igitur testamentum inter liberos à parente scriptum, non ostensum testibus aut Notario, l. ult. c. Famul. ercis. d. §. ex. imperfecto, & ubique *Doct. Bald. in l. si inquit d. De testam.* etiam si quoad solemnitates imperfectum sit, modò quoad voluntatem perfectum sit, valeat; sequitur quoque testamentum ad pias causas sic factum valere. Quod multorum admodum testimonijs testatum est, & à plurimis secundum ea sæpius responsum, *Phil. Cornueus cons. 215. vol. 2. & cons. 118. vol. 3.* Vt rectè censuerit Bartolus, in l. i. c. De sacros. eccles. q. d. ultima voluntas ad pias causas obliget Deo, quando de illa constat, & perfecta est ratione voluntatis. Perfectam autem esse ratione voluntatis (licet non possit negari imperfectam esse ratione solemnitatis) vel ipsa scriptura satis manifestè declarat; ex cujus capite & fine perfectio & absolutio declarata voluntatis ultro se offert. Relinquitur ergo hujusmodi scripturam vim testamenti, seu ultimæ voluntatis habere.

6 Quod ad posterius caput attinet, hoc est, quam vim & effectum habere debeant hæ tabulæ, perplexiorem quæstionem habet. Nam ut de cæteris, quæ dubitationem non habent, taceamus, de illo quæri potest, an dispositio hujus testamenti vires suas extendat ad bona extra Angliam sita: in ijs scilicet locis, ubi vel ex jure scripto forma testandi servatur; vel statuto aut consuetudine certa præscripta est? Sed magis est, ut huc transferamus, quòd Cynus, Bartolus, Salicetus, Ioannes Faber, & communiter alij omnes tradunt, in l. i. c. De sacros. eccles. in causâ testatæ successionis, testamentum conditum secundum ritum & morem in territorio seu regione testantis receptum, porrigi generaliter ad omnia testatoris bona, etiam extra illud territorium sita: per rationes & media ultima, quibus id manifestè probant; quas indicasse tantum brevitatibus causâ satis arbitramur.

In illo maior est scrupulus ad utrumque caput pertinens; an nihil obstat prædictis, Antwerpia scriptum esse hoc testamentum; ubi indubitatum est, maioribus cautionibus & solemnitatibus opus esse in scribendo testamento. Nam qui de extensione testamenti ad bona alio loco sita tradunt, *Doct. in d. l. i. c. De sacros. eccles.* hoc requirere videntur, ut testamentum conditum sit secundum consuetudinem & morem loci, ubi conficitur: ita ut merito dubitetur, an ulla vires habeat hoc de

quò agimus testamentum? Sed hujus nodi solutio ex duobus petenda est; quorum alterum privilegium est; alterum iuris communis. Et prius quidem ex eo, quòd natio Anglicana Antwerpia mercatus gratiâ agens, de quâ fuit prædictus Robertus testator, specialiter hoc sibi concessum habeat, ut suis legibus vivant, judicia tractent, agant, conveniantur: & minime obstringantur legibus Antwerpiensibus: & ob id rectè, quòd de toto genere concessum est, ad speciem testandi applicetur. Testamentum enim, seu testandi facultas & ipsa testatio, personam magis respicit quàm rem. Quando igitur ratione territorij, seu jurisdictionis Mercatores Anglicani legibus Antwerpiensibus non sunt subiecti, sit quoque, ut testandò suos ritus sequentes, non peccent; & Antwerpiens leges negligentes, in periculum non veniant. Posterior autem ex eo desumitur, quòd & Robertus, & omnes ferè alij Anglicani Mercatores, iure civium Antwerpiensium non censeantur, sed pro forensibus habeantur; quos traditum est, non alligari legibus aliorum, apud quos ad tempus agunt, *Doct. in d. l. i. c. De sacros. eccles.* & ita quidem, ut existimatum sit à plerisque forensium hujusmodi legibus sui territorij sic alligari, ut foris non possint ea, quæ tractum habitura sunt aliter, quàm illius territorij legibus perferre, *Bald. Salic. in d. l. i. efficiunt enim personam, Cynus in l. i. Vbi pætor. Felim. in c. Postulasti De foro comper.*

Postremò, quia & hoc in facto propositum est, suspensionem esse, quòd Anna Adylone soror testatoris, controversiam movebit Executoribus dicti testamenti ratione ædium, quas Antwerpia habuit præfatus testator; lubet & hoc addere, inanem esse huiusmodi suspensionem, etiam si omnia quæcumque prædicta sunt, cessarent. * Cum enim in prædicto testamento invenitur dicta Anna legato, eoque non exiguo, sexaginta scilicet liberarum, honorata; hujusmodique legatum per eandem esse agnitum & acceptum, fieri non potest, ut quòd semel probavit, postea improbetur. Si pars §. fin. l. si ponas §. i. De inoff. testam. l. Ad solutionem c. De re iud. l. Non dubium c. De testam. * Nam tanta non est hujus testamenti nullitas, quin ut diximus, propter pias causas, in quam magna pars bonorum, præsertim dicta domus erogata est, valeat, & robur atque incrementum extrinsecus per approbationem & confirmationem accipere possit; ne obstant quæ à Doctoribus traduntur, in l. Non dubium c. De testam. de inutili probatione ejus, quòd per se nullum est. Quinimò si id lubet D. Anna tentare, videat, ne cum Æsopico cane amittat, quòd accepit legatum: ob id, quòd pia causa favor seipsum non excedat, & in cæteris testamentum nullum relinquat. dum solemnitas defuit, d. §. ex imperfecto. Atque ita de propositi testamenti viribus dicendum arbitramur.

De Testamentis.

S V M M A R I U M.

Testamentum per Notarium Papalem scriptum.

1. Notarius per Papam creatus per totum mundum potest exercere Notariatum.

2. Notarius